INNOCENTIO XI.

PONTIFICI MAXIMO

EPITAPHIVM

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI

D. LIVIO ODESCALCO

S. ROM. ECCLESIAE ARCHISTRATEGO.

CERENSI DVCI &c.

EIVSDEM GLORIOSISSIMI PONTIFICIS EX FRATRE NEPOTI

INSCRIPTVM.

D. O. M.

Quis sit sub hoc lapide
Vaticinare Viator.
Non Homo, non Angelus,
Non Viuus, nec Mortuus,
Sed vterque.
Angelicam vitam duxit, dum esset Homo;
Nunquam Homo fuit, vt Angelus esset.
Et Sibi, & Suis, vt soli Deo viueret,
Semper obijt.
Et Qui Viuendo semper profuit,
Moriendo nocuit.
Fallor.
Adhuc prodest, quia adest.
Quaeris nomen?
Hic est INNOCENTIVS,
Virtute Magnus, Gloria Maior, Dignitate Maximus,
Auctoritate Moyses, Potestate Petrus,
Vnctione Christus.
Turcarum Virga, Haereticorum Malleus,
Deus Pharaonis.
Quod Nauibus Anchora, Nauclero Magnes, Nautis Pharus,
Id fuit INNOCENTIVS Orbi,
Cuius memoria in aeuum viuet.
Verè OPTIMVS.
Et quia post Aurum non abijt, nunquam obijt.
Quia Sui nunquam fuerunt dominati,
Verè IMMACVLATVS.
Citò cupiebat dissolui, vt diù viueret.
Quia sciuit viuere, semper obijt.
Quia sciuit obire, semper viuit.
Hanc legem teneas si hac legis.
Abire.
Et vt Viuere discas, disce Mori.

D. Carolus Ioseph Imbonatus S. Bernardi Monachus